

1433

*Venerus in
Tellina
Valle pa-
rum pro-
spere pu-
gnat.*

diocri clade accepta, repulsus est. Quo successu, quum Veneti ferociam ad omnia audenda promptiorem factam callidus hostis non dubitaret, postero die reversus, injecto de industria certamine, legatum ipsum cum toto præsidio infidiis excepit, exceptumque, adjuvantibus subita defectione accolis, cum omnibus fere copiis oppressit. Trecenti equites, eruptione per medios hostes facta, in aversos saltus abiere. Capti eo prælio præter Cornarium, Thaddæus Æstensis, Cæsar Martingius, Italus Forojulianus, Baptista Capitius, & Antonius Martinascus, clarissimi ea tempestate ductores. Nec circa Padum res in ocio fuere. Sed dum hæc in montibus geruntur, Philippi duces Casale majus & Brixellum recepere. Tellana clade nunciata, confestim relatum est ad Patres de novo Imperatore eligendo: Senatus Mantuano Principi, licet suffragiis aliquantisper variantibus, copiarum omnium imperium decrevit: quo recepto, ad bellum continuo ille profectus est, ac Vallem Camonicam, quæ interim defecerat, subito adventu recepit. Contareno inde consentiente, qui in Cornarii locum fuerat suffectus (jam enim bruma aderat) in propinquas valles copias ad hyberna dimisit. Pax per eam hyemem agitata, demum sub vernum tempus his conditionibus secuta est: Ut Philippus Brixiani Bergomensisque agri locis, quæ interim quum de pace ageretur, receperat, prorsus decederet: Monferratensem Veneti nominis socium, in amissum eo bello reduceret principatum, quanquam non desunt qui in Sigismundi gratiam id antea a Philippo præstitum dicant: Lodovico Vermio, & aliis, qui Veneto imperio eo bello militassent, antiqua rerum redderetur securitas: Captivi illustres ex fœdere utrinque restituerentur: In Volaterrano & Pisano oppida Florentinis adempta Philippus redderet, daretque ad id operam, ut Senenses quoque, quæ Florentinorum occupassent, intra mensem relinquerent; quod si illi facere recusassent, nullis eos postea auxiliis juvaret. De Lucensibus, Thoma Fregosio,

*Pax cum
Philippo.*